



19

1779, 12.

DE
EFFECTIBVS DOMINII
EX TRADITIONE
REI IMMOBILIS
EXTRAIVDICIALI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXIX. IVNII ANNO MDCCCLXXIX.

DEFENDET

ANDREAS TRAVGOTT GRAHL

DRESDENS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



DECRETUM
EFFECTIBVS DOMINII
EX TRADITIONE
REI IMMOBILIS
EXTRAIUDICIALI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

FRANCO

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR PVBLCI ORDINIS IVM NAT ET GENT
ET SOCIETATIS IVM NAT ET GENT

1700

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XXII IVM ANNO 1700


DIREXIT

ANDREAS TRAVGOTT GRAHL

DRINGENS

LITIS

EX OFFICINA LANGENHEIMIA





VI
DE
EFFECTIBVS DOMINII EX TRADITIONE
REI IMMOBILIS EXTRAIVDICIALI.

§. I.

Modum transferendi domini derivatum naturalem unicum esse, *traditionem* communis est opinio, nec expressis legibus videtur contraria. At si accurate iudicare velimus, certum est, quasdam accessionum species male inter modos originarios secundum quid tales referri, quae potius ab vno in alterum dominium deriuant. Exemplo fit *adferrunatio*, *inclusio*, *inaedificatio*, *insatio* et aliae accessionum species. In his enim res aliena

A 2

ad

IV

ad meam accedens mihi acquiritur, sic non originarie: quippe in originaria acquisitione requiritur, ut res tempore acquisitionis nullius dominio sit subiecta: sed in his speciebus tempore, quo accessio fit, res accedens alterius dominio subiecta est: acquiro enim *tignum alienum* ad fundum meum per inaedificationem accedens. Neque fingi potest, rem illam accedentem ad rem meam nullius factam, quippe tunc is, qui dominium amittit, actionem ad rei pretium vel indemnitatem consequendam habere haud posset, quam tamen leges concedunt e. g. *de tigno iuncto*. Sed haec obiter: Traditione dominium in alterum transferri, verissimum est. Quare CAIUS in *L. 9. §. 3. π. de acqu. Rer. dom.* Scribit: *Haec quoque res, quae traditione nostrae sunt, iure gentium nobis acquiruntur: nihil enim tam conueniens est naturali aequitati, quam VOLUNTATEM domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.* Causa ergo, quae traditionem modum acquirendi efficit, Caius in *voluntate domini* quaerit.

§. II.

Haec vero domini voluntas ex ea praecedente causa, quam ICI *titulum* vocant, indicatur; talis enim titulus seu traditionem praecedens debet esse causa, quae habilis est, ut ex ea dominium acquiri possit. Non ergo omnis rei traditio dominium transfert, sed quae ea ex causa fit, ut alter dominus fiat. Quare si commodans commodatario rem commodatam tradit, tamen commodatarium dominum nunquam efficiet, quia in tradente non est voluntas, ut alter ex ea traditione dominus fiat. Constituit itaque solum traditio rei detentorem, haud vero dominum, si causa iusta transferendi domini deficit. At vero, etiam si iusta transferendi domini causa adsit, datur tamen exceptio, quae in emptione deprehenditur

tur, quod traditio ex vendito facta emtorem dominum haud efficiat, nisi ex autoritate legum decemviralium satisfactum sit venditori, id est pretium emtionis eidem solutum sit. Dari quidem exceptiones, per quos traditio dominium operatur, pretio nondum soluto, non nego, sed ex regula res decidenda.

§. III.

Quae cum ita sint de Iure Romano dubium non est, si ex iusta ad transferendum dominium habili causa traditio fit, siue rei mobilis, siue immobilis, accipientem rei fieri dominum. Neque necesse est hoc iure, ut magistratus autoritate immobilis rei traditio fiat: quare ULPIANVS in *L. 20. pr. π. de acqu. rer. domin.* de simplici traditione adfirmat dominii translationem, scribens: *Traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit. Si igitur quis DOMINIUM in FVNDO habuit, id tradendo transfert.* At patrii mores patriaque iura ab hac iuris Romani dispositione recedunt. Constat enim in plerisque prouincijs Germaniae rerum immobilium traditionem, ni fiat auctore iudice, ratam non videri. Causam quaerunt in cura magistratus onerum publicorum, ut sciat, quis rei sit dominus atque a quo illa onera exigenda. Confirmat hanc causam MANDAT. *Elect. d. A. 1714. d. 12. Sept.* quo Praefecti prohibentur fundorum venditiones confirmare, nisi prius de parte pretii soluenda debita onerum in fundo deducantur. Hinc in eam plerumque dilabuntur opinionem, dominium rei immobilis non nisi iudiciali resignatione transferri. Videamus: an haec omnino vera sit opinio, et an traditio extrajudicialis rei immobilis plane nullos producat effectus.

§. IV.

Non negandum est, Iure Saxonico et aliis Iuribus provincialibus, quae coram iudicio immobilium rerum traditionem desiderant, extraiudiciali licet traditione facta, non omnino perfectam esse omnibusque numeris absolutam rei translationem ad consequendum dominium. Confirmat me in hac sententia, quod possessor fundi extraiudicialis traditi non possit hypothecam in eo fundo constituere, quippe illa iudicialiter constituenda, quam vero nunquam confirmabit iudex, nisi iudicialiter traditum possideat constituens fundum. Neque ille extraiudicialis possessor alienando fundum poterit iudicalem alienationis factae confirmationem a iudice impetrare, nisi ipsemet prius fundum iudicialiter traditum habeat.

§. V.

His non obstantibus, puto tamen, eam ipsam ex iusta causa factam traditionem priuatam non omnibus desituri effectibus, imo potius naturales domini effectus in eum transferri. Non huc refero, ius illud perfectum, quod acquirenti competit, ab eo, a quo fundum traditum accepit, praetendere, vt confirmationem iudicis procuret. Hoc ius non ex traditione venit, sed ex conuentione, ex qua extraiudicialis illa traditio facta. Nam non est dubium, quin idem ius habeat acquirens re extraiudicialiter non tradita, dummodo iusta et obligatoria praecessit causa. Qui enim rem immobilem alienat atque vult, vt alterius fiat, is quoque tenetur ad conuentionem adimplendam, quae pro adimplenda perfecte haberi nequit, nisi tradita sit confirmatione iudicis simul adhibita.

§. VI.

At effectus traditionis extraiudicialis sine dubio erit, vt praesumptionem prae se habeat ex possessione, quapropter is, cui

cui fundus extraiudicium traditus nihilominus possessionem nactus est traditione illa extraiudiciali, vt si in possessione turbetur, possit aduersus quemcunque turbantem agere, atque instituto possessorio summarissimo efficere, vt in possessione sese tueri possit. Hoc ex conuentione nunquam pendere potest, sed potius extraiudicialis traditio efficiet, quippe per hanc possessio obtenta, cuius qualitas in possessorio summarissimo plane non examinatur. Dein effectus illius traditionis extraiudicialis erit, vt non ipse tantum fundo vti fruique atque fructus suos facere possit, sed vt locatione interposita ius vtendi in conductorem transferat atque mercedem lucretur. Neque si is, qui tradidit, dominus fuit, vel ipse, vel alius quisquam impediatur, quominus fructus suos faciat, siue sint ciuiles, siue naturales. Hinc non dubito, quin, si in fundo extraiudicialiter vendito thesaurum inueniat emptor, cui fundus traditus, nondum adhibita iudicis autoritate, eundem plene sibi acquirat. Neque negandum erit, si accessiones fundo fiant, quin et eas simul suas per fundum faciat, atque ex iis lucretur.

§. VII.

Praeterea licet non absolutum dominium traditione extraiudiciali possessor consecutus sit, tamen non ausim negare, posse eundem tam inter viuos, quam per vltimam voluntatem de fundo disponere. Sicuti enim ex conuentione ius perfectum habet aduersus suum agendi autorem, vt resignatione iudiciali interposita, quod suo dominio deest suppleri faciat; ita, si ipse in alium rem transferat extra iudicium, eum non quidem perfecte dominum efficiet, at tantum transferet iuris, quantum ipse habuit, ita, vt si ipsemet quaesuerit postea traditionem autoritate iudicis factam, vt sua quoque conuentione

VIII

ventio per eundem confirmetur, curare poterit. Neque dubito, quin et valide per ultimam voluntatem ius ex traditione extrajudiciali competens possit in heredem vel alium transferre saluo eo iure, vt dein is, cui illud ius relictum possit ab eo, a quo traditam rem extrajudicium acceperat testator, vrgeri, vt adhuc iudicalem curet confirmationem suae conuentionis atque traditionis extrajudicialis. Hinc patet, falsam esse opinionem, qui omnes effectus extrajudiciali negant traditioni.



VII

Reuerentia facta non ad solium dominum, sed etiam ad personam eiusdem, quae in rebus non videtur, sed in rebus videtur, quam per vim et voluntatem de facto habent. Sic in casu ex conuentione in personam facta aduersus rem, et reuera, tunc iudicium iudiciale, quod de dominio dicitur, non est, sed si quis in aliam rem transferat eius iudicium, tunc non videtur per se dominum esse, et tamen tunc iudicium dominum esse habet, et videtur, quod iudicium est, et traditorem iudiciale habet, et de quo dicitur, et



Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.







1779, 12.

DE
EFFECTIBVS DOMINII
EX TRADITIONE
REI IMMOBILIS
EXTRAIVDICIALI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE XXIX. IVNII ANNO MDCCCLXXIX.
DEFENDET
ANDREAS TRAVGOTT GRAHL
DRESDENS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

